Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-725952-p0001-1

B'el 81 71

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-725952-p0002-6

131

I. F. M.

ANNVM OCTOGESIMVM,

VITAE
MISERIIS ATQVE LABORIBVS
SVPERATIS,
FELICITER EXACTVM,
PARENTI OPTIMO,

VIRO
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, ET PRAECELLENTISSIMO,
DOMINO

DOMINO
M. GEORGIO MICHAELIS,

FACVLTATIS PHILOSOPHICAE, IN ILLVSTRI
PROPTER ALBIM ACADEMIA
ASSESSORI GRAVISSIMO,
FESTO GEORGI, A. O. R. cIɔ Iɔ CCXX.

OMNI OBSERVANTIA ATQVE PIETATE GRATVLATVR,
FILIVS
IN ALMA SALANA DEGENS,
M. IO. FRIDERICVS MICHAELIS.
VITTEMB. SAXO.

IENAE
LITERIS VVERTHERIANIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-725952-p0003-2

QVi multos numerare dies in turbine mundi
Poſſunt, his certe fata benigna favent.
Hæc, bene transactæ, voluit concedere, vitæ,
Præmia, ſupremi Numinis alma manus,
Id ſacra ſat claris verbis oracula monſtrant,
Et facile rerum prompta magiſtra docet.
Sic DEVS, electo populo, ſua dicta tenenti,
Annos promittit, *Moſe* notante, graves.
Officium ſuperis dandum, cultumque parentum,
Hoc ornare modo gratia dia ſolet.
Hinc pœnam reputat *Davides*, regius ille
Vates, ſi juvenis ſurripiatur homo.
Vtque ſibi medium vitæ ſuperare liceret,
Anxius exoptat, corde ferente preces.
Hiskias, Dominum coluit qui pectore toto,
Affixus lecto, percipit hæcce bona.
Ter quinos vitæ, quos non ſperaverat, annos,
Felix ac vegetus nunc numerare valet.
Evenit id ſervo, cujus non ſufficit acta
Centurio verbis concelebrare ſuis.
Ex morbo diro, ſic Servatore jubente,
Incolumis ſubito languida membra levat.
At quum peccatis *Achabi* perfida proles
Commoveat Numen, fictitiumque roget:
Cogitur ante diem, nullo medicamine durum
Depellente malum, mortis adire domum.
Hinc igitur pietas certo ſua quemque coronat,
Et pœnas ſecum crimina prava trahunt.
Id tamen admittit, grandis, diſcriminis, ætas,
Nunc ea quod fauſtos, nunc miſeroſque beet.
Illud ſi fiat, vix res miranda videtur,
Hoc vero nobis multa notanda dabit.
Quid mirum, valida puppis munita carina
Integra ſi tandem littora tuta petat:
Sed quando labens, variis agitata procellis,
Ingreditur portum diruta pene ratis:
Tunc eadem demum plaudens expandere vela
Iure poteſt, veſtes devovet atque Diis.
Haud *Ludovici* annos vnquam mirabitur orbis,
Cui nomen magni Gallia vaſta dedit.
Aſt quum perraro, ſulcantibus arva, Meander,
Exemplo, vitæ plurima luſtra ferat:
Id merito quisquam ſuſpenſa mente ſtupeſcens
Suſpicit, ac curam colligit inde DEI.
En VENERANDE SENEX, huic TV, PATER OPTIME, claſſi,
Tot vexate malis, annumerandus eris.
Quem lætus ſuperas, eſt OCTOGESIMVS ANNVS,
Aſpera quo duxit TE via ſtrata rubis.
Nunc TE res miſeræ, nunc oppreſſere labores,
Turbida fortunas diſpulit aura tuas.
Ærumnas inter TIBI tot ſuperanda pericla,
A prima, ætatis, luce, ruentis, erant.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-725952-p0004-8

Principium fecit patriæ dulciſſima ſedes,
Fatales caſus Hungara terra dolens.
Hanc tum vaſtabat gentis ſæviſſimus hoſtis,
A Chriſto, ſummo quæ duce nomen habet.
Hinc, ne mors eſſet vel ſervitus arcta timenda,
Et fuga ſuppetias tunc TIBI ſæpe tulit.
Mox conſcendebas prærupta cacumina rupis,
Quo ſic celatus, tutus ab hoſte fores.
Mox TIBI ſolamen loca terræ clauſa dederunt,
Dum fuit afflicti grata caverna quies.
Hæc infligebat vaſtator publicus armis,
Cui clam jungebat facta cruenta latro.
Quæ, proficiſcentis, magnum, ſcelerata caterva
Incuſſit cordi, nocte dieque, metum.
Cetera dum triſtis TIBI quæ ſubeunda recordor,
Horreo langueſcens, occupat oſſa tremor.
Quid quæſo vitæ reſtabat? fluminis atri
Quum tegeret laſſum tetra vorago caput.
Efflaſſes animam certe, ni protinus, undæ
Gurgite concluſo, cimba tuliſſet opem.
Nec tamen hic greſſus fixit fortuna, ſed ipſi
Menti clam poſuit retia laxa doli.
Ingenium cultum, quo TE natura ſecundum
Præſtitit, incepit raſa notare cohors.
Vtque ſuis rebus ſerviret, tota ſtudebat,
TE, verbis, factis, conciliare ſibi.
Otia nunc, victum, nunc extollebat honores,
Infula quos junctos, atque cucullus habet.
Nec de ſucceſſu dubium felice movebat,
Conſiliis fuerat certa ſtatuta dies.
Hæc ignorabas; ſed TE generoſa monebant
Pocula, queis madidus rem retegebat herus.
Confeſtim fraudes, nivium candore micante,
Vitabas, corpus præripiente traha.
Hungara tot peperit mala quæ Germanica terra
Auxit, funeſtas addidit atque minas.
Non mihi ſufficeret tempus ſi tangere cuncta
Optarem, retrahit copia magna manum.
Decerpam ſaltem properans ex omnibus unum,
Quod novi membris imminuiſſe tuis.
Nonne tremens ædes repetabas, enſe nefando
Inſidias capiti forte ſtruente graves?
Vno tota ſalus oculi pendebat ab ictu,
Perniciem tantam reſpiciendo caves.
Sic igitur, TIBI quæ triſtis fortuna pericla
Impoſuit, mitto: damnaque mœſta colo.
Hæc inter dubio certe procul eminet illud,
Conſtanter vitam quod comitatur onus.
Scilicet inſignis patriæ jactura bonorum,
Quam vere juſtam dicere nemo poteſt,
Eripuere domos TIBI tunc fundos & agellos,
Quicquid conceſſit gratia ſumma DEI.
Hinc triſtis quondam linquebas dulcia rura,
Quæ tantum cordi grata fuere tuo.
Exutum cunctis excepit pulchra *Budorgis*,
Cui ſors & caſus junxit acerba ſuos.
Paucos, quos tuleras, nummos, hic abſtulit hoſtis,
Quo ſincera fides ſcanderet alta poli.
Hæc tamen officio lauto penſare ſtudebas,
Quod *macer* ac tumidus vertit honoris amor.
Nec torus adjecit gazas, æqualia namque,
Quam veneror, GENETRIX OPTIMA, fata dolet.

Damnis & morbi tandem acceſſere, vigorque
Corporis inſignis decidit ante diem.
In primis ingens vexavit lumina languor,
Quæ mala ſunt pariter dura ferenda mihi.
Id non obſtabat, paupertas magna, labore
Haud interrupto, rite levanda fuit.
Sæpius inſomnes ſuetum TIBI ducere noctes,
Defeſſum poterat vix recreare quies.
Suntque Viri teſtes ſcriptis ac arte celebres,
A TE formati, quos tacuiſſe juvat.
Rem non obſcure veſtigia docta loquuntur,
Artificem ſtudium namque probare ſolet.
Mitto, conſpiciunt lucem quæ carmina comta,
Vt *Naſo* verſus nectere natus eras.
Cetera ſunt potius calamo fugiente notanda
Queis nomen clarum crevit in orbe tuum,
Olim Parnaſſi, jam TE, POMARIVS amplus,
Excelſi, docuit ſcandere ſumma juga.
Nec mentem timor invaſit, certamine duro
Hoſtem vincebas, cantica læta canens.
Sic quoque *Calvini* magna virtute ſequaces
Terrebas, verbo tela ferente DEI.
Vmbra cingebat TE tum FABRICIVS, ille
Malleus hæreſeon, quem ſua ſcripta probant.
Mox *Vittembergæ*, ſiſtens *æraria cauta*,
Pandebas vires ingeniumque bonum.
Quoue *modo ſancti nummi ſint rite locandi?*
Monſtrabas, docta rem moderante manu.
Porro quærebas: *humanum num DEVS ipſe,*
Divinum capiat jureque nomen homo.
Tandem grandævus *natum* pugnare docebas,
TV fortis *Præſes*, *Dux* & agonis eras.
En, VENERANDE PARENS, felix mihi nonne vocandus?
Qui poteras vitæ vincere monſtra tuæ.
Dignus es, ex multis, hinc, ut conſtante fruaris,
Confectus fatis, proſperitate ſenex.
Palladio cinctum funeſta pericula linquant,
Tempore, quod reſtat, cuncta quietus agas.
Quæ TE vexarunt huc dum, jam damna recedant,
Et ſua quæque dies emolumenta trahat.
Vires, quas morbi quondam rapuere maligni,
Viribus exuto reſtituatve DEVS.
Sic rude donatus calido ſudore laborum
Abſterſo, florens otia grata colas.
Accedat fauſtis gradibus CENTESIMVS ANNVS,
Plauſibus exceptus, quo Iubilæa canas.
Annoſus tandem nitido ſplendore coruſcus,
Incolumis cœli limina tuta petas.
Annuat ut Numen votis, ſuſpiria fundo,
Nec de ſucceſſu fluctuo corde meo.
TV tamen & *nati*, cordatus, protege ſortem,
Conſiliis, factis, ſis memor usque mei
Ignitis precibus me *ſummo* ſiſtere nunquam
Deſine *Statori*: *filius* hæcce petit.

Ung VI 4

(x 2743293)

ULB Halle 3
006 310 079

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-725952-p0007-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-725952-p0008-0

131

I. F. M.

ANNVM OCTOGESIMVM,

VITAE

MISERIIS ATQVE LABORIBVS

SVPERATIS,

FELICITER EXACTVM,

PARENTI OPTIMO,

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, ET PRAECELLENTISSIMO,

DOMINO

DOMINO

M. GEORGIO MICHAELIS,

FACVLTATIS PHILOSOPHICAE, IN ILLVSTRI

PROPTER ALBIM ACADEMIA

ASSESSORI GRAVISSIMO,

FESTO GEORGI, A. O. R. cIↄ IↄCCXX.

OMNI OBSERVANTIA ATQVE PIETATE GRATVLATVR,

FILIVS

IN ALMA SALANA DEGENS,

M. IO. FRIDERICVS MICHAELIS.

VITTEMB. SAXO.

I E N AE

LITERIS VVERTHERIANIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-725952-p0009-9